

**Elegantissimum ex physicis thema de hominibus apparenter mortuis /
Publicae ventilatione sistent Theodorus Kirchmajer & Christophorus
Nottnagel.**

Contributors

Kirchmaier, Theodor, 1645-1715.
Nottnagel, Christoph, active 1669.

Publication/Creation

Wittenbergae : Typis Matthaei Henckelii, Anno 1681.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/jzwu5bge>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

31

ELEGANTISSIMUM
Ex
PHYSICIS
THEMA
De
HOMINIBUS
APPARENTER
MORTUIS

Publicæ ventilationi sistent

M. THEODORUS KIRCH-
MAJER,

Francus,

&

CHRISTOPHORUS Nottnagel /

Wittebergensis, Med. Stud.

*Ad d. 15, Maji, A. 1670. in Auditorio consueto,
Horis antemeridianis.*

WITTENBERGÆ,
Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. LXXXI.

15

RECEIVED

1871

JAN 1

LIBRARY

APPENDIX

OF

THE

STATE

OF

THE

OF


THE

OF

THE

OF

THE



PROOEMIUM.

Dura lex; OMNIBUS MORIENDUM! Nullam hęc
 ætatis rationem, nullam personarum habet. Æquè
 ferit Principes ac Subditos; æquè Juvenes ac Se-
 nes. Unus omnes manet exitus. Rectè quidem si
 putaremus rem, magis optare deberemus, quàm abhorrere
 mortem. Vita enim nostra quid nisi ergastulum, nisi diversò-
 rium? Mors autem via est, quæ in cælestem ducit patriam.
 Interim aliquid Naturæ dandum. Hęc cum suæ amantissima
 unionis sit, corpus egrè divelli patitur ab anima, & in terram,
 ex qua ortum tamen aliquando est, reduci. Hinc nihil non
 tentat pro conservatione sui. Multi per dies aliquot omni vitæ
 sensibili carere visi sunt, & id propter mortuis annumerati.
 Natura tamen, ut quasi reviviscerent, quibus potuit modis,
 mirificè præstitit. De hisce impræsens agere apud animum sta-
 tuimus. Deus mortis ac vitæ Dominus & principio & fini
 benignus adsit!

CAPUT I.

SYLLABUS.

- | | |
|---|---|
| <p>1. Apparenter mortuos à veris
 non facillè licet discriminare.
 Quia utrobique eadem acciden-
 tia. Probat. Subjunguntur
 exempla aliquot antiquiora,
 apparenter mortuorum, qui
 pro veris sunt habiti ex Plinio
 & Plutarcho.</p> <p>2. Aliud memorabile depromitur
 ex Apulejo.</p> <p>3. Iterum aliud ex D. Augustino,</p> | <p>4. Quibus similia subjiciunt Thua-
 nus & Diomed. Cornar.</p> <p>5. Adducitur àutoψία CHR.
 Landini. Item mulier Coloni-
 ensis, quæ ex sepulchro resur-
 rexit.</p> <p>6. Recentiorum exemplorum plu-
 ra sunt, quàm quæ hîc recen-
 seri possint. Unicum saltem de
 Vitriario Wittebergensi subji-
 citur Colophonis loco.</p> |
|---|---|

Apparenter mortuos à veris discernere, res tam difficilis quàm periculosa est. Nam quæ in his, eadem in illis quoque mortis *κρίτηρια* occurrunt. Deest utrobique potissimum calor; deest halitus & pulsus cordis; desunt actiones vitales & animales ad sensum. Imò plura, quæ concomitari vivum solent, hîc desunt. Nihil certi definiri, nihil sciri potest, ubi incertitudo militat. Verissimè *Democritus*, teste *Cornelio Celso*, finitæ vitæ nullas dari notas asseruit, quibus firmiter insistere possis. Enimverò sunt, qui pro mortuis habiti inter efferendum revixerunt; sunt, qui elati jam ex ipsis sepulchris redierunt. Veritas facti indubia est, & tot Scriptorum monumentis confirmata. Ex antiquioribus primùm audiamus *Plinium*, qui in Historiâ nat. Lib. VII. peculiare hâc de re conscripsit caput. Ita verò ille: *AVIOLA CONSULARIS in rogo revixit, & quoniam subveniri non potuerat, prævalente flammâ vivus crematus est. Simile in L. Lamiâ Prætorio viro contigit. C. Ælium Tuberonem verò Prætura functum à rogò relatū, Messala Rufus & plerique tradunt. Hûc pertinet nobile illud apud Græcos volumen Heraclidis, septem diebus fœminæ exanimis ad vitam revocata. Varro quoque autor est viginti viris agros dividentibus Capuæ, quendam, qui efferetur feretro, domum remeasse pedibus. Hoc idem Aquini evenisse. Romæ etiam Corfidium materteræ suæ maritum funere locatò revixisse & locatorem funeris ab eo elatum. Plutarchus in DE SERA NUMINIS VINDICTA narrat, nonneminem, cum ex alto super collum decidisset, nullo accepto vulnere ex lapsu saltem mortuum esse, ac, cum jam triduanus ad sepulturam efferretur, de subito corroboratum ad sese rediisse, & incredibilem mutationē vitæ post instituisse. Verba ejus ex ipso desumpta fonte hæc sunt: *Καὶ δὴ τρόπον τινὰ μετ' ἑπολὺν χρόνον αὐτῷ σωθέν.**

σεν. Κατενεχθεὶς γὰρ ἐξ ὕψους τινός εἰς τράχηλον, ἔ γενόμενος τραύ-
ματ^Θ, ἀλλὰ πληγῆς μόνον, ἐξέθανε, καὶ τριταῖ^Θ ἤδη περὶ τὰς
ταφὰς ἀνήνευκε. Ταχὺ δὲ ῥωσθεὶς, καὶ παρ' αὐτῷ γενόμεν^Θ
ἄπιστόν τινα ἔ βίη μεταβολὴν ἐποίησεν.

§. II. His qui astipulentur, non defunt alii. *Apulejus* libr.
VI. Florid. de homine φαινομένως mortuo elegantem hanc
historiam exponit. ASCLEPIADES, inquit, cum fortè in civi-
tatem se reciperet, ἔ rure suo suburbano rediret, aspexit in
pomœriis civitatis funus ingens locatum, plurimos homines
ingenti multitudine, qui exequias venerant, circumstare,
omnes tristissimos ἔ obsoletissimos vestitu. Propius accessit,
ut etiam cognosceret more ingenii humani, quisnam esset?
Quoniam percontanti nemo responderat. At verò ut ipse ali-
quid in illo ex arte reprehenderet, certè jacēti ac propè deposti-
to fatum attulit. Jam miseri illius membra omnia aromatib⁹
perspersa, jam os unguine odorò delibutum, jam eum pollix-
ētum, jam cœna paratum (contemplatus enim diligentissimè
est) animadvertit. Etiam atq³ etiam pertractavit corpus homi-
nis ἔ invenit in illo vitam latentem. Confestim exclamavit
vivere eum. Procul ergò faces abigerent, procul ignes amoli-
rentur, rogam demolirentur, cœnam feralem à tumulto ad
mensam referrent. Murmur interea exortum, partim medico
credendum dicere, partim etiam irridere medicinam. Postre-
mò, propinquis etiam hominibus invitis, quod ne jam ipsi be-
reditatem acceperant, an quod adhuc fidem illi non habebant;
egrè tamen ἔ difficulter Asclepiades impetravit brevem mor-
tuo dilationem. Atq³ ita Vespillonum manibus extortum, ve-
lut ab inferis, postliminiò domum retulit, confestimq³ spiri-
tum recreavit, confestimq³ animam in corporis latibulis deli-
tescentem quibusdam medicamentis provocavit.

§. III. Dignissimum memoratu præ cæteris est illud, cu-
jus memoriam D. Augustinus Ecclesiæ Hipponensis præsul,

lib. de Cura mortuorum, ad posteritatem sequentibus propagavit. Homo quidam, ait, de turmâ, curina nomine, municipii Tulliensis, quod Hipponi proximum est, curialis pauper, & simpliciter rusticanus, ablati sensibus, penè mortuus jacuit aliquot diebus. Nullos artus movebat, nulla sumebat alimenta: nihil oculis, nihil ullo alio sensu corporis, quâlibet impacta molestia, sentiebat. Videbat tamē multa velut in somnis, quæ tandem aliquando post dies plurimos, quasi evigilans, visa narravit. Ac primum mox ut aperuit oculos: Eat aliquis, inquit, ad domum Curinæ, fabri ferrarii, & videat, quid ibi agatur. Quo cū itum esset, inventus est mortuus, eò momento, quo iste fuerat sensibus redditus, & penè à mortè revixerat. Tunc intentis, qui aderant, illum exhiberi jussum esse, quando ipse dimissus est, indicavit: seq̃ illic, unde redierat, dixit, audiisse, quod non Curina Curialis, sed Curina Faber ferrarius ad loca illa mortuorum præceptus fuisset adduci. In illis ergò visis, tanquam in somniis suis fuit inter eos defunctos, quos videbat pro meritorum diversitate tractari. Agnovit etiam nonnullos, quos noverat vivos. Ipsos autē verè mortuos forsitan credidissem, si non inter illa quasi somnia sua vidisset etiam quosdam, qui usq̃ adhuc vivunt, Clericos videlicet aliquos regionis suæ; à quorum Presbytero audivit, ut apud Hipponem baptizaretur à me: quod & factum esse dicebat. Viderat itaq̃ in illâ visione Presbyterum, Clericos, me ipsum, nondum scilicet mortuum. Vidit & fundum, ubi erat ille cum Clericis Presbyter & Hipponem, ubi à me baptizatus est. In quibus locis profectò non erat, quando illic sibi esse videbatur. Nam quid ibi ageretur eò tempore, nesciebat: quod procul dubio sciret, si verè ibi esset. Visa sunt igitur ista, quæ non præstantur in ipsis rebus, ut sunt, sed in quibusdam rerum imaginibus adumbrantur. Deniq̃ post multa, quæ vidit, etiam in Paradisum se introductum esse, narravit, dictumq̃ sibi esse,

cum

*cum inde dimitteretur redituros ad suos: Vade, baptizare, si
vis esse in loco beatorum. Deinde, ut à me baptizaretur, ad-
monitus, jam factum esse, respondit. Cui rursus ille, qui cum
eo loquebatur: Vade, inquit, verè baptizare; nam illud in
visione vidisti. Post ista convaluit, perrexit Hipponem. Pascha
jam appropinquabat, dedit nomen inter alios competentes;
pariter cum plurimis incognitus nobis: nec illam mihi visio-
nem nec cuiquam nostrorum indicari curavit. Baptizatus
est. Peractis diebus sanctis, remeavit ad propria. Biennio vel
amplius transacto, ego cuncta hæc cognovi, primò per quen-
dam meum ejusq; amicum in convivio meo, dum quædam ta-
lia loqueremur. Deinde institi ac feci, ut hæc mihi præsens ipse
narraret, attestantibus honestis civibus suis, & de mirabili
ejus egritudine; ut jacuerit penè mortuus, per dies plurimos,
& de illo alio Curina, Fabro ferrario, quod commemoravi
superius & de his omnibus. Quæ cum mihi diceret, etiam tunc
ab illo audisse recolebant atq; firmabant &c.*

§. IV. Aliud factum in signe in rem nostram suppeditat
ex *Tbuano* elegantissimus *Francisci* de *Julio Civili*, qui in
obsidione *Rothomagi* *Galliæ* glânde ictus plumbeâ, ex val-
lo mortuo similis in fossam decidit, nec multò post cum
alio quodâ conditus in terram est. Hic habebat in ministris,
qui juramento fidem suam obstrinxerat vivo, si mortem
fortè occumberet, corpus se repetiturum. Hujus memor
post sex horas accurrit, herum verò non invenit. Monstra-
tur sepulchrum; aperitur: Ipse verò totum sanguine pol-
lutum non agnoscere poterat pro suo. Igitur reponit eum,
abiturus inde. Casu verò manus remansit extra humum,
cujus digitorum unus pretiosissimâ gemmâ coruscabat.
Quò animadversò, minister corpus relevat ex tumulto &
eqvo secum domum avehit. Supererat quidem aliquid ca-
loris, vita tamen nulla sentiebatur, donec quinto abhinc
die, calidò per os in fusò jussculò cor vicissim agitari cepit, &
ipse

ipse oculos reclusit. Atq; sic, qvi inter mortuos jam fuit, de-
nuò accessit vivis, & ex vulnere penitus convaluit. Non
possum mihi temperare, qvin foeminam istam, qvæ, teste
Diomed. Cornaro in hist. admirand. sepulta peperit, huc
qvoq; in medium producam. Res verò ita habet. Madritii
in Hispaniâ matrona qvædam ex familia *DonFrancisci Lasso*
oriunda, postqvam per triduum in mortis agone decubuit,
cognatis eam mortuam dijudicantibus, deportata est in lo-
cum ad sepulturam destinatum, ubi more solito relicta fuit
occlusa. Post aliquot menses apertò tumultò repertum est
hoc cadaver, habens in dextro brachio infantē mortuum.
Ex quo non obscurè colligere licet, ipsam tum temporis,
qvando sepulta fuit, nondum obiisse, sed postmodum pe-
perisse infantem, qvi unà cum matre miserrimè intra ter-
ram obiit.

§. V. Cæterum nec prætereundum silentio est, qvòd ad
lib. VI. *Æneidos* notavit *Christoph. Landinus*, se videlicet Flo-
rentiæ suis vidisse oculis infectoris uxorem pro mortuâ
elatum, cum ad remigii perventum esset templum, in fere-
tro assurrexisse & ad multos annos vixisse. Qvòd de *Jo. Duns*
Scoto à nonnullis asseritur, pari probabilitatis specie ab aliis
rejicitur. Ne ergò falsa fortè misceantur veris, satius erit,
eum omittere. Illud meretur fidē, qvòd annotante *Gr. Hor-*
stio, c. 9. med. mir. Marcelli, M. CCCLVII. Coloniae Ubiorum
accidit. Scilicet nobilis qvædam matrona, *Reichmuth Adolch*
nomine, in foro novo habitans, cujus ædes adhuc conspi-
ciuntur, peste inter alios corripitur ibidem, & pro mortuâ
sepelitur. In hujus digitis annulum relictum vespillones
advertunt. Qvapropter nocte subsequente clam sepulchrū
adeunt, loculumq; effodiunt. Quid fit? sepulta se erigit, Ve-
spillonum præ metu aufugientium lucernam apprehen-
dit, & ad ædes mariti sui properat. A quo cognita postmo-
dum, optimâ victus ratione adhibitâ, convaluit, & tres ad-
huc filios generavit.

§. VI. Haftenus exempla attulimus ex prioribus feculis. Nunc recentiora persequenda effent. Sed verendum, ne & tempus deficiat & opera perdat: quandoquidem nulla vel provincia, vel urbs facile existit clara, quæ non aliquot de se recensere nōrit. Ipsa Witteberga nostra hominem alit vitriarium, nomine *Augustum Schwencke*, qui, cum trium esset annorum infans, ex morbo quodam videbatur expirasse. Pater ejus Decurio cum reliquâ familiâ summam inde acerbitatem sensit. Sed ne magis hæc ac magis conspectu augeretur, ex hypocausto corpus deferri in conclave quodam aliud curavit. Intensissima erat hyems, & tamen eum nonnisi indusio amictum per triduum haud læserat. Hic cum mox esset efferendus, in locum antè illum, in quo erat repositus, faber lignarius, unâ ibi habitans, venit, rerum aliquid acturus. Fortè audit vocem hominis, petentis potum. Accedit ad loculum, sed nullū vitæ indicium deprehendit. At cum abeunte ipsō vox eadem resonaret, assumit infantem, & ad Patrem properat. Hic attonitus fidem non adhibere dictis, nec tamen ea prorsus spernere. Igitur ad fornacem collocatur. Cum jam incaluisset probè; euge! oculos aperiebat, movebat manus, & paulatim sibi totus reddebatur. Vivit adhuc homo, & nunc canescere incipit; quanquam facie semper palleat.

CAPUT II.

SYLLABUS.

I. Cause investigantur, quod nonnulli, qui mortui sunt visi, revixerint. Adducitur quorundam opinio Refutatur.

II. Vera sententia ponitur. Ostenditur simul, cur anima ab operationibus suis esset.

III. Declaratur modus, quo *Φαινομένων* mortui reviviscant. Indicatur, quod nonnunquam mira visa habeant. Subjunguntur hujus rei exempla. Causa rededitur.

§. I.

HUlcusq; demonstratum, dari homines, qui cum diu inter mortuos jam referrentur, vitæ tamen sensibili præter spem omnem restituti sint. Proximum est, ut in causas effectus hujus inquiramus. In antecessum verò monendum, fuisse, qui docuerunt, animas suò exire corpore, idemq; , ubi opus, vicissim ingredi. Quos inter *Paracelsus*, teste *Libanio de Cr. Cad. p. 173.* & *Kornmannus de mir. mortis part. 9. cap. 23. Magius* quoq; cap. 5. 3. annotante *Dalechampio* ad lib. VII. cap. 52. *Plinii*, de animarum post obitum recursum multa refert, atq; ex eo etiam decidit quæstionem, cur præsentē occisore occisus stillet sanguinem? Hi proinde & alii Autores to ù negotiū explicant per egressum regressumq; animarū liberum. Sed impium & abominandum dogma hoc. In manu Domini animæ requiescunt, è corpore cum exierunt. Nullus naturaliter regressus à privatione totali ad habitum datur. Animas separatas cum corpore redunire, non nisi divinæ virtutis est; ne plura hujus rei in sacro codice, quàm septem extant exempla, præter illud insigne *ῥεκνύειν*, ut observatum *Cedreno* in vitâ Tiberii. Diabolus quidem nonnunquam ob causas sibi optimè notas defunctorum corpora ingreditur, motusq; eorum & operationes dirigit ad tempus; animam verò informantem reducere non valet.

§. II. Nihil horum in apparenter mortuis locum habet. Manent enim animæ. Id verò disquiri potest, cur ab ordinariis suis operationibus cessent? Rem paucis expeditam dabimus. Causa Principalis ad agendum idoneis eget instrumentis, quibus destituta impeditur. Non conficit vestem sine forfice & acu sartor. Non extruit domum sine ascia ferrâq; faber. Mediis utrinq; opus. Anima quidem inorganica est, & separata etiam absq; organis agere potest. At quamdiu est in corpore, ea exposcit ad actiones perficiundas. In primis verò potissima ejus organa, spiritus nempe & viscera prin-

principaliora attendenda sunt. Hæc ubi se habent rectè, debito modò munere illa suò perfungitur. Sin verò contingit, ut vel gravissimè lædantur, vel extremè corrumpantur, cogitur istud aut remissè agere, aut prorsus intermittere. Nos animam in ejusmodi hominibus operationes suas definire dicimus vel ob insignem quandam in dispositionem, cordis, vel læsionem & nimiam concussionem cerebri, vel ob principii nervorum obstructionem & spirituum animalium interceptionem, vel ob defectum vitiumq; grande spirituum vitalium, vel deniq; ob usum fortiorum medicaminum narcoticorum, quibus spiritus in toto corpore, stupefiunt & quasi constringuntur. Indefinitè hîc loquimur. Plures causas damus, quia plures casus sunt. Ad particularem verò effectum particularem applicare causam, prudentiæ opus est, ac præcipuè ex circumstantiis & constitutione corporis addiscitur. Sed ad rem.

§. III. His in angustiis dum anima versatur, vires recolligit, ac, ne domicilium suum, quod insiti amoris vi complectitur, deserere habeat necesse, intus naturæ laboranti, quantum quidem potest, obstetricatur. Ad superandum igitur impedimenta si sufficit, homo sibi redditur, & vitam vivere de novo incipit. Memorabile est, quod nonnulli in quiete hæc mira somnient visa. *Eris filius, Armenii, natione Pamphylius, referente Leopard. cap. 2. 9. multis acceptis vulneribus, inter mortuos ad decimum usque diem relictus, deinde duo decimo ad sepulturam sublatus, in rogo revixit, ac mirabilia quædam per imaginem oblata sibi, dum ex animis jaceret, narravit. Quod de Curinâ dictū antè, adhuc in recenti memoriâ erit. Aliud de Corfidio ex Varone affert Plinius. Verba ejus hunc in modum ferè sonant: E duobus fratribus equestris ordinis Corfidio majori accidit, ut videretur expirasse, apertog; testamento recitatus heres minor funeri institit. Interim is, qui videbatur extinctus, plaudendo concinnit mysteria,*

*Et narravit à fratre se venisse, commendatam sibi filiam ab eo. Demonstravit præterea, quò in locò alter defodisset aurum, nullò conscio, Et rogasset, ut iis funebribus, quæ comparasset, efferretur. Hos eò narrante, fratris domestici properè annuntiaverunt, exanimatum illum, Et aurum, ubi hic dixerat, reppererunt. Causa rei hæc fortè est, Phantasia in talibus, æquè atq; in somniantibus, omni reliquò quiescente sensu, adhuc actiuosa existit, atq; nunc acceptas species confundit, nunc novas inde elicit. Et cum plerumq; graviter ægrotantes multa de morte, de funere ac cælò sibi imaginentur, species hæc etiam post soporem istam remanent, & Phantasie occasionem præbent, admiranda sæpius visa effingendi. Quanquam non negare velim, Curiam simul virgulâ tactum divinâ, monitumq; esse, ut ea perageret, quæ ad gloriam Dei & propriam facerent salutem. Idem verò de *Corfidio* pronunciare, vereor, ne vehementer errem. Neque tamen per accidens ignota eum rescivisse, facile dixerim. Conjeciam, Diabolum hæc ipsius Phantasie impressisse. Hanc conjecturam ita stabilio. Primò, *Corfidius* erat unus ex gentilibus. At his nihil rerum cum vero Deo. Idola enim adorabant, & de futuris interrogabant; responsa verò per eadem à Diabolo capiebant. Non igitur credibile, Deum gentili miraculosè ea aperire voluisse, quæ erant mundana, ac nec conversionem istius, nec nominis sui amplificationem concernebant. Deinde, in visione illâ inter alia revelatio fit thesauri, quæ à fratre, nullò conscio, occultabatur. At Diabolus mundi ac divitiarum Princeps audit, & maxime laqueis hisce homines irretire & in maiora peccata præcipitare studet. Nec obstat mandatum de curandis exequiis, aut filia fratris honestè educanda. Diabolus enim bona interdum svadet, ut pro Angelo lucis reputetur, & decipere in cæteris hoc felicius possit.*

CAPUT III. SYLLABUS.

I. Mortui per dies aliquot non immerito asservantur, antequam tradantur sepultura. Idem observavit mulier quædam Ferrariensis. Idem observandum Camerarius suadet. Ita etiam soliti sunt Græci, ita Romani.

II. Agitur de conclamatione. Ventilatur Questio, An vociferando delitescens anima resuscitari possit? Breviter etiam pertractatur Controversia, An anima corpore egressura, per clamorem detineri queat?

§. I.

CAutè cum mortuis procedendum. Non illicò abest anima, abesse ubi videtur. Sæpè insignis error committitur. Sæpè semivivi sepeliuntur. Memoria occurrit, quod apud *Amat. Lusitanum* Cent. 4. observ. 23. legitur de puellâ quædam *Ferrariensi* apoplecticâ; quæ ab omnibus Medicis pro mortua habebatur. Interim cum mater filiam summo-perè amaret, eam non ita facilè permisit sepeliri, idq; hòc magis, quod ab aliis perceperat, qui gravioribus repente morbis corripiantur, non tam subito terræ mandandos esse. Demùm mater puellam per triduum aqud se invitis aliis detineri fecit; & ecce! tertiò illa die quasi ex inferis sublevata revixit. Hùc faciunt, quæ *Jo. Rudolphus Camerarius* Med.D. Cent. 7. Mirabil. naturæ arcanorum, hanc in rem differit: *Compertum habeo, nostrâ & avorum memoriâ nonnullos effractò capulò revixisse. Quamobrem lege cautum esse convinit, ne Libitinarii aut Vespillones properè, quos mortuos existimant, extingant, animæ speciem præbere vident, loculo includant, eos præsertim, qui apoplexia aut morbo comitiali, uterique strangulatione suffocantur, cum in illis nonnunquam delitescat anima, quæ rursus corpus spiritu vitâq; imbuat.* Tutissimum proinde est, corpora per tempus aliquod asservare. Ita etiam tulit Veterum consuetudo. Apud Græcos septendecim diebus domi sunt

servati antè, quàm cremarentur mortui. Hinc & *Homerus* Achillem diebus noctibusque totidem defletum & octavo decimo combustum *Odyss.* lib. 24. tradit. Nec *Romani* festinârunt defunctos. Multa, ceu ex *Pontani Progymnasim.* & *Jo. Kirchmanni Funeribus Romanorum* constat, funerationi præmiserunt, quorû illud præcipuum, quòd identidem coram mortuis ederint clamorem, ut vel egressuram animam retardarent, vel in corpore delitescentem experge facerent. De Conclaminatione & Conclamatibus, quæ hinc inde habentur ap. Autores, tractent Philologi. Nos ex occasione dictorum duo indagare altius juvet;

1. *An plurium conclaminatione anima latens excitari possit?* 2. *An eadem corpore excessura per vociferationem retardari queat?*

Utrumq; distinctè ac breviter examinandum.

§. II. Quod attinet ad *prius*, credidisse hoc Romanos, modò ex *Kirchmanno* recitatum. At amussim res si applicari debeat, non simpliciter vera est affirmativa. Cautela adhibenda. Plura superiùs impetimenta adduximus, quæ interdum animam ab operationibus suspensam tenent. Ob diversitatem illorum respondendum diversimodè. Quod si fortè enim aut male affecta cordis substantia, aut læsum nimis, concussumque cerebrum hunc effectum principaliter producat, clamor vel per triduum continuatus nihil proderit. Sin ceteræ valeant causæ, aliter loquendum. Tum enim sonus vehementior vehementiùs ferit sensus, sanguinemq; corruptum alterat, movet, dissipat, & spiritibus vitalibus ad cor retroactis versus cerebrum per arterias parat viam, animalibus verò vel interceptis, vel ex pharmaco stupefactis per nervos. Quò ipsò adjuncta anima ad suum redit

dit officium, quod in vita aliquantisper omisit. Interim fatendum, quod ejusmodi conclamati postea languidam & difficilem agant vitam, nisi malum maturè removeatur. An ex depravatis humoribus sanguinis, nec ne, hoc oriatur, nonolumus disputare. Ad *Posterius* accedimus, quod maximè obscurum est. In rebus naturalibus, quarum manifestæ qualitates sunt, facile, verum invenire. At quò nec sensus, nec rationis imbecillitas pertingit, vel probabilem saltem conjecturam afferre, non in promptu semper. Circa præsens problema varii sentiant varia. Nobis verisimile videtur, animam in certis casibus per elatum clamorem ad minuta quædam temporis teneri posse. Clamor enim per aures penetrat ad phantasiam. Phantasia verò spiritûs, qui potissimum animæ vehiculum sunt, denuò excitat. Quò fit, ut homo adhuc paulisper respiret, & anima in corpore remaneat. Sed verò egressuram ad longum tempus detinere, nec personum, nec aliud quoddam medium possibile est. Ubi enim mors ex causis suis præsentissima instat, animæ & corporis proximè sequitur dis-

solutio.

TANTUM.

COROLLARIA.

I.

Ineunte vere aër est insalubris.

TErra enim radiis solaribus reclusa, quos per hyemem intustenuit vapores, universos tum emittit, aëremq; iis maximè impurum reddit. Et si alicubi fortè succis mineralibus sit imprægnata, tetrīs eorū effluviis prætereuntes sæpè in summum vitæ discrimen adigit. Nec parum insalubritatem augent aquæ regularæ.

lata. Quæ enim glacie per benè longum tempus constri-
gitur illuvies, calore verno resoluta liberè egreditur. Acce-
dit, quod insecta pariter atque animalia venenata ex caver-
nis terræ, in quas ante se ob metum frigoris receperant, hoc
tempore redeundo, putridos secum noxiosque halitus
asportent. Igitur præstat mense potissimum Martio domi se
continere, quàm animi gratiâ in rus abire.

II.

**A pastu illicò urgere studia, valdè
impedit concoctionem.**

Nobilissimus animæ humanæ actus intellectio est, cui
si attentius incumbit, non dubitandum, quin cætera
agat remissius. Spiritus enim potissimi ex reliquo corpo-
re ad cerebrum tendunt, ut animæ species intelligibiles
vel de novo fabricanti, vel intellectui passibili jam im-
pressas repetenti & inde elicienti alias inserviant. Hinc
facile colligere est, debilitari ventriculum, interpellari
concoctionem accruditates (quæ causæ sunt malorum
mille) oriri, à prandio & coena statim si literas scrute-
ris. Satius proinde est modicâ deambulatione, aut aliâ
exercitatione quadam ludicra per unam duasve
horas pro ratione temperamento-
rum uti.

